

A. N. 352, 8.

I. N. I.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,

DOMINO
FRIDERICO AVGVSTO,
ELECTORATVS SAXONICI HEREDE,
ETC. ETC.

DE

BONA INTENTIONE,
AD ACTIONIS BONITATEM
MINIME SVFFICIENTE,

Publice disputabunt

PRAESES

M. CHRISTIANVS MICHAEL

Bischoff /

Langensalz. Thur.

ET

RESPONDENS

IO. CHRISTOPHOR. HAMMERVS,


VViesenthal. Mifn.

Ad d. XI Octobr. cl^o 1702.

H. L. Q. C.

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.

II f
796.



83

S. 16.

177

A. W. V.

RECTORIALE UNIVERSITÄT
BOZAVANTATIONE
AD CANTON BOZAVANT
MINIMISSIMISSIMA
Publice disputant

M. CHRISTIANVS MICHAEL
Publice disputant

IO. CHRISTOPHOR. HAMMERSVS
Publice disputant





Q. D. B. V.

I.



Vi acie decernere volunt, primo omnium de hoste sunt solliciti, quis sit ille, quo in loco commoretur, quae agitet consilia, et quibus viribus valeat. *Scire namque debet, quid perat ille, qui sagittam vult emittere, et tum dirigere et moderari telum. Senec. ep. 71.* Idem et mihi nunc incumbere puto, ut publice disputaturus de moralitate actionis, bona intentione susceptae, dispiciam, quid valeant humeri adversariorum. Non magnopere contendam cum *Calvinianis*, qui nostram sententiam improbant, DEVM non peccare existimantes, etiam si homines ad peccandum instiget: quia bonum finem sibi habeat propositum, nempe iustitiae suae manifestationem. Quos propterea recte castigat *B. Meisner. Phil. Sobr. P. III Sect. II c. 2 Q. 5.* Sed *Iesuitas* cum primis aggrediar, qui quaevis peccatorum monstra bonae intentionis ergo approbant, vel saltem excusant. Videri vult hoc genus hominum, se a rebus turpibus et illicitis homines abstertere; at ubi actus impediri non possit, saltem intentionem ita dirigendam esse suadet, ut actionem per se nocentem innoxius emendet finis. Hoc caput rei esse existimat, ut intentio bene dirigatur, atque sic Deo hominibusque se satisfacere gloriatur. Iniquitatis huius defensores sunt *Reginaldus, Escobarius, Hurtadus de Mendoza, Lesius, Diana, Sanctius, Tannerus, Azorius, Laimannus, Filiuccius*, alique, quorum sententias diligenti studio excerptis *Sam. Rachelius cap. X. Probabilism. Ies. p. 64 seqq. it. p. 135 seqq.* Rem illustrabimus exemplo. Quaeritur, utrum qui alapa percussus est,

possit inuasorem occidere? Certe qui vitam suam ad normam legis instituit, cavet sibi ab alterius occisione vel ideo, quia privato iniuria lacescitur non licet par pari referre, nec perpersio alapae sufficiens causa est occidendi aggressorem. Illi vero approbant homicidium, si alius huius dedecoris fugiendi modus non suppetat, modo adsit in vindice bona intentio, voluntas nempe dandi signa excellentiae, et existimationis apud homines captandae. v. *Azor. Theol. Mor. p. 104.* Quando quaeritur, utrum hosti mihi valde nocituro mortem exoptare queam, aiunt illi id licere, modo non fiat malevolus animo et ad vitandum damnum. *Escobar. Tr. 5. Ex. 5. n. 145. v. Lud. Montaltii ep. 7 et 14 prov. et VVendrockii notae ad ep. 7 Montaltii. Pudet me ista refellere, (cum Augustino loquor) cum eos non puduerit ista sentire: cum vero ausi sint etiam defendere, non iam eorum, sed ipsius generis humani me pudet, cuius aures haec ferre potuerunt. ep. 56.* Haud erabro, si retulero huc *Nic. Machiavellum*, cuius error in vulgus notus est, mala miscenda esse bonis, ut saluti publicae consulatur. Quid, quaeso, aliud hoc est, quam strategema Iesuitarum, actionem per se nocentem emendare debere innoxium finem, ut supra ostensum? v. *eius Princeps Cap. XV sqq.* Neque ab hoc abit *I. Lipsius*, quippe qui non veretur docere, in regnando aliquid fraudis esse miscendum, si ratio status et utilitas reip. id exigat. Quod si hic turpia admitterentur quaedam, bono fine haec fieri bona. Hoc enim aspectu, quod plerumque turpe haberi solet, turpe non esse. *Cic. 3. Off. c. 4.* semperque officio fungi, utilitati hominum qui consulit et societati. *ib. c. VI. v. I. Lips. lib. IV Polit. c. 13 et 14.* Verum castigatus ille nuper est a *Nobiliss. et Excellentiss. Dn. Reinbarde in not. ad b. l.*

II. Ceterum vocabulum *intentionis* ab ambiguitate hic liberandum est. Nam intentio idem saepe valet, quod *consilium ac προαίρεσις*. Atque hinc praecipuum moralium doctores, actionem moralem oportere proficisci ex intentione, seu esse proaereticam, dataque opera et ex decreto voluntatis susceptam. In hac controversia est nihil aliud, quam finis cuique in singulis actionibus propositus. Ergo bona intentio perinde est ac bonus finis, mala intentio aequivalet malo fini. Illud tamen silentio praeterire non possumus, aliud esse *bonum finem*, aliud *boni finis praetextum*. Latet sane in illa appellatione boni finis maxima ambiguitas: multa enim hodie illius nominis splendore

dore teguntur, quae longe aliter appellanda erant. Multi bonam intentionem actioni praetexunt, et quae sunt vafrities, malam occultant. Multi satis praetextuum, colorum, magnificorum nominum, limitationum et dissimulationum adhibent, sed res ipsae testantur contraria. Etenim multorum inveterata consuetudo est, ut omnia se agere dicant propter DEI gloriam, ad defendendam religionem, tranquillitatem publicam, ad sanctitatis et fraternae caritatis custodiam, et quae alia in ore habent versuti illi homines, a quibus tamen eorum mens est alienissima. Vel uno exemplo Ferdinandi Catholici contenti esse possumus: hic enim pallio religionis tectus Africanam est aggressus, in Italiam expeditionem confecit, postremo Galliam est adortus. *Machiav. Princeps c. XXI § 1.* Imo religione, quam omnibus suis actionibus semper praetexit, ad ambitionem et inexplebilem propagandi imperii cupiditatem mira crudelitate abusus est, auctore *Thuano lib. I. Histor.* Accedit, quod Iesuitae aperte et sine circuitione intentiones etiam perversissimas praetexant actionibus, easque dilaudent. Quis dixerit hanc bonam intentionem, in occidendo altero dare signa excellentiae et existimationem apud homines captare? Quam tamen ab illis probari, imo svaderi, supra fuit ostensum. Sed stat sententia, actionem per se turpem legique contrariam nec approbari, nec laudari, nec excusari posse, etiamsi optima intentione et vel honestissimo consilio suscepta fuerit, multo minus, si eius intentio fuerit perversa, et modo colore boni finis obducta, qui quidem splendide fulget et speciosus apparet in oculis imperitae plebis, a prudentibus autem tandem animadvertitur et detegitur, ut actionis foeditas appareat, lucique exponatur hominum vafrities.

III. Supponimus, imo ut summe necessarium iterum iterumque inculcamus illud, magnam bonae intentionis vim esse in moribus, adeoque bono animo agere oportere moraliter operaturum, et scopum intendere legi conformem. Hinc non sufficit ad bonam actionem, ut versetur in honesto obiecto; sed requiritur etiam, ut illud circumstantiis, ad actionis naturam spectantibus, sit vestitum, inter quas bonus finis principatum obtinet. Vbi enim una harum circumstantiarum desideratur, actio illico ponitur in vitio, etsi in honestissimo obiecto occupetur. *v. Excellenriff. Dn. Roebrenseï, Patroni*

troni ac Praeceptoris mei pie devenerandi Prud. Moral. P. II c. IV § 15 sqq. Alexander M. honeste operabatur, quando cives ab externis hostibus liberabat, et nominis sui famam tradere studebat immortalitati: ast intentio eius non satis erat honesta. Omnia enim ad potentiam et gloriam referebat, suaeque demptum gloriae existimabat, quicquid cessisset alienae. *Curt. L. VI Hist.* Tanta vis inest in iniusta intentione, ut honestissimam actionem contaminet. Quapropter necessaria est ad honestam actionem bona intentio, adeo ut nonnunquam propter eam excusentur, quae sine hac facta iure culparentur. Imo levius peccare eum, qui in actu illicito versatur ex bona intentione, docemur a *Magnif. Dn. D. Neumanno, Patrono nostro sancte colendo, Disp. de peccato sub spe veniae commisso § 14.* Quaerimus autem, utrum ita peccantes in foro conscientiae et coram Deo excusari mereantur? Et hoc est, quod nos negamus.

IV. Nec desunt nobis rationes, quibus sententiae nostrae fidem facere possumus. Provocamus (I) ad interiorem bonae actionis formam, quae sane bona tantummodo intentione non absolvitur, uti sentire coguntur Iesuitae; sed plura requiruntur. Sicuti enim sanitas et pulcritudo in corpore una forma sunt, exoriantur licet ex pluribus requisitis: ita forma honesti ex variis conditionibus et principiis conflatur et efficitur, honesto nempe obiecto, certis et ad valorem moralem aptis vestito circumstantiis; ratione, obiectum hoc practice cognoscente; et certo agendi consilio, sub quo agens in tali obiecto occupatur. Haec simul sumpta ubi cum motu physico uniuntur, tum demum actum reddunt per se et immutabiliter bonum. *v. Zentgrav. Summa Iuris Div. Sect. I art. 1 subsect. I § 5 p. 15.* E contrario ad malitiam actionis non semper opus est, ut circumstantiae cum obiecto simul omnes sint illegitimae, cum actio vel ex inhonesto obiecto, vel ex una circumstantia possit contrahere malitiam, uti iam ostensum. Furtum sane est et manet tale, atque inhonestus censetur actus, etiamsi in extremo periculo vitae conservandae ergo committatur. Occupatur enim fur in obiecto per se et in sua natura turpi antecedenter ad omnem voluntatem divinam. Ponamus, DEVM duos modo homines in hac rerum universitate creasse, iisque nullam de non furando legem indidisse, ratio tamen utrique dicitur, neutrum sine alterius iniuria posse alteri bona ipsius auferre.

Inquis:

Inqvis: intentio saltem ita dirigenda est, ut actionem per se malam innoxius emendet finis. Impie sane, et plane inepte. Quomodo enim, quod per se et immutabiliter malum et turpe est, a bona fine accipere poterit bonitatem? v. *Zentgrav. de Orig. Veritate et Immunitabil. Iur. Nat. art. 8.*

V. Non possum mihi hic temperare, quin calamum stringam in P. Slevogium, philosophum ceteroquin acutissimum, qui fere paria docere videtur cum Iesuitis. Contingit aliquando, inquit ille, ut ad vitandum grave aliquod incommodum aut propter alium finem licite et ordinate possit intendi, quod citra peculiare quasdam circumstantias esset malum et peccatum. Quamquam non censetur licite et ordinarie intendi, nisi quatenus per istiusmodi circumstantias malitia ab eo separatur. Exempli loco profert ablationem rei alienae in casu extremae necessitatis, quam ideo pronunciat licitam, quia in eiusmodi casu separatur malitia ab eo actu hoc ipso, quod per istam circumstantiam moraliter mutetur obiectum actus. v. *Disp. IIX Pract. de Peccato Mor. Sect. 4. assert. 3.* Sed enim iam ostensum est, furtum in se et sua natura esse turpe, et ideo in iure morali prohibitum: quicquid autem in iure morali eoque naturali prohibitum est, illud est contra sanctitatem, iustitiam et immutabilem rectitudinem divinam, ut ne DEVS quidem dispensare hic possit, nisi se ipsum velit abnegare. Quomodo itaque circumstantia necessitatis obiectum hoc mutare poterit, ut ex illicito evadat licitum? In legibus moralibus, quae universales et aeternae sunt, nulla necessitas, nullum periculum facit, ut violatio earum sit licita, inquit B. Chemnitius in *Harm. Evang. ad Matth. XII, 2. 4.* Instat ille: bona aliena in eo casu quoad usum fieri communia et licite auferri. l. c. At cum DEVS bona haec possessori legitimo semel concesserit, non intelligo, quomodo illa citra ullum speciale hac de re mandatum possint fieri communia, aut sine laesione iuris divini ab invito domino auferri. David in casu extremae necessitatis panes propositionis comedens, quibus extra hunc casum sacerdotibus tantum vesci licebat, adversarii causae non patrocina- tur; siquidem factum hoc est contra legem ceremonialem, in qua DEVS potest dispensare, et vere hic dispensavit. v. *L. Ofiand. in I. Sam. XXI, 6. 7.*

VI. Pro-

VI. Provoco II) ad exteriorem actionis moralis formam, quae est convenientia vel disconvenientia cum lege, ut vel me tacente omnes norunt. Actio ergo bona est, quae cum lege et recta ratione convenit: mala e contrario, quae cum lege et recta ratione disconvenit. Vel: *dictum, factum, concupitum contra legem Dei. Augustin. l. 22. contr. Faust. c. 27.* Vel: peccatum est *transgressio divinae legis, et caelestium inobedientia mandatorum, docente Ambrosio de Paradis. c. 6.* Si igitur de actionis bonitate vel malitia iudicandum est, non confundendum primo ad finem, cuius gratia actio suscepta est, siquidem facile falli hic possumus, ut ex § 2 constat: Sed omnis actionis bonitas vel malitia ex lege aestimanda est. Eam enim DEVS O. M. ut normam et mensuram nobis dedit, cum qua quicquid convenit, rectum et iustum est, quicquid disconvenit, iniustum et peccatum est. Ut si sententia sit ferenda de Imp. Augusto, qui cum hostium suorum uxoribus concubuit, hoc consilio, ut per eas in maritorum arcana inquireret. *Sveton. in August. Cap. 69.* temerarius profecto foret, qui bonum finem intuendo illud factum pronunciaret honestum, propterea quod hostem liceret vincere quocunque modo. Nam ut haec intentio sit laudanda, ipsum tamen adulterium est per se turpe, et legi rectaeque rationi adversatur. *Ut bene quis agere dicatur, inquit Gvil. VVendrokius, non satis est bonum finem sibi praestituat, nisi ipsum officium per se sit rectum. Nam ut etiam bonum officium prava viriat intentio, sic intentionem rectam corrumpit officii pravitatis. annot. ad ep. 7 Montalt.*

VII. Dixerit quispiam: *mala intentio actionem reddit malam: ergo bona intentio actionem reddit bonam.* Et sane ita est, ut mala intentio actionem ratione obiecti honestissimam collocet in classe vitiorum. Nero sane neque liberalitatis, neque clementiae, neque comitatis exhibendae ullam occasionem praetermittebat, nec tamen honeste operabatur. Cum enim omnia haec ideo tantum faceret, ut viam muniret sibi ad potentiam, mala haec intentio omne hoc virtutis exercitium maculabat. *Sveton. in vita Neron. c. X.* Idem et illis contingit, qui saepe iusta pugnandi causa nituntur, cum tamen iniusto fine evertunt, quando occasione causae negotium extendunt ultra limites iustae vindictae et restituendi damni illati, ad ampliandum nempe imperium etc. *Ziegler. cap. XXXIII. 9. 65. f. 578. de Iur. Mai.*

Mai. Non tamen illico dicendum est, bonae intentionis eandem esse naturam, ut turpem actionem sola possit nobilitare. Absit hoc! Multum interest inter bonam malamque actionem. *Bonum est ex integra causa: malum vero ex quovis defectu*, ut docet *Dionys. Areop. L. de Divin. nomin. cap. IV.* Contrariorum contrariam esse rationem, recte dicitur, si contraria sunt paria: aut malum opponitur bono non solum contrarie, sed etiam privative. Bona insuper actio per se spectata altera non est melior aut nobilior: aut peccata sunt inaequalia, cum inter ea detur alterum altero gravius. Hinc sicut una curvitas magis a rectitudine recedit, quam altera: sic distantia actionis moralis a sua norma nunc maior, nunc minor esse potest. *Pufendorf. lib. I cap. VIII § I de IN. G.*

VIII. Nititur mea sententia III) principio illo iuris divini: *Non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona.* Itaque non licet falsum Dei cultum simulare, ut vitae evadas periculum: nec insuperabili te offerre periculo, ut alter propterea a periculo liberetur. Quo in casu M. Curtius peccasse videtur, qui in voraginem praecipitabat, ut patria liberaretur a peste. *Val. Max. l. V c. 6.* Verum si ad adversariorum accedendum est sententiam, licet sane mala facere, ut inde eveniant bona, quod divinis iuribus e diametro repugnat. Sic furi licet impune invadere bona alieni possessoris, sequelocupletare iisdem, modo eo animo se fecisse id dicat, ut suae suorumque saluti prospiceret, eosque ab inedia liberaret. Homicidis quoque idonea praebet occasio, viatores interimendi et pecunia spoliandi: cum praesto sit *περόφασις*, bono animo id factum esse, ut pecunia illis surrepta ad honestos usus adhiberetur. Incestus quoque filiarum Loti nobilitari poterit, quia factus est ea intentione, ut genus humanum propagaretur. Imo nescio quae flagitia et peccatorum monstra hoc modo exerceri possunt, cum nulla actio tam nefaria esse possit, quae non intuitu boni finis queat patrari, nec tam hebetis ingenii tamque tardae mentis esse quis potest, qui malis suis actionibus publicum vel privatum commodum, vel suum erga alios amorem aliisque fines praetexere nesciat. Tantis adeo criminibus fenestram aperit Theologia Moralis Iesuitarum, quae quidem egregie facit ad statum curiae Romanae, sed non instruit ad vitam honestam. Occurrit nobis a veritatis osoribus, *se pro virili abstertere homines a rebus*

rebus illicitis, sequere cum iis facere statim disfidium, qui nullum praeter peccatum sibi praestitutum finem habent. Montalt. ep. 7 prov. O lepida capita! Danturne homines, qui nullum praeter ipsum peccatum praestitutum finem habent? Danturne actio sine fine? Potestne voluntas appetere malum, nullam sibi iucunditatem aut utilitatem habens propositam? Non sane. Ergo dum Iesuitae intuitu boni finis (sive ille honestus sit, sive iucundus, sive utilis, ipsis perinde est) peccata suscipi posse suadent, consentiunt in ipsum peccatum, nec homines pro viribus ab iniquitatibus arcent. *Ἐυδῆλον*.

IX. Cavendum est ab errore hostium IV) quia exinde propululat istud absurdum, malum posse eligi, ad bonum finem ordinari, et boni quicquam producere. Fac enim, impiam illam opinionem posse consistere, (quod tamen nunquam fateberis) certe spes locupletandi rem familiarem ita incitabit furem, ut ad surripiendam alteri pecuniam nil facturum sit reliqui. Plura exempla non adduco, ut satietati medear lectoris. Quae cum ita sint in promptu, ut res disputatione non egeat, non possum satis mirari illos, qui male agere iubent, modo bonus finis actioni praetexatur. Verum est illud, si recte accipiatur: *Finis discriminat actiones*. Scilicet si disputatur de actionibus indifferentibus h. e. iis, quae lege nec praeceptae, nec interdictae sunt, sed ab impositione superioris suam accipiunt moralitatem, tunc finis est quasi principium illud cognoscendi seu discretivum, unde certus fit, sitne actio illa in individuo bona, an mala. Ut cum David stylum arriperet ad mandandum Ioabo, ut Uriac interitum procuraret, ex hoc fine cognosco, scriptionem, quae per se indifferens est, in Davide fuisse ab honestate remotam. Ceterum dictionem illud eo usque male extenditur, ut finis actioni etiam formam largiri dicatur, et bonus pronuncietur actus, in bonum finem susceptus. v. Heidegger. *Disp. Sel. II de Morali Iesuitarum Theologia* § XIX p. 55.

X. Denique V) methodus dirigendae intentionis vel ideo fugienda est, quia est rivulus ex venenato fonte, Iesuitarum nempe *Probabilismo*, promanans. *Πρώτον Φεῦδος* est, per honestatem sequi licere opinionem probabilem falsam legique divinae contrariam, eamque a peccato coram Deo excusare. Vocant opinionem probabilem, quae vel modica ratione, vel gravi auctoritate vel unius probi

probi et docti viri innititur. Hinc sufficere existimant ad honestatem actionis, si quis in numerato habeat Casuistas, sibi assentientes, magnam nempe Hurtadum, Laimanum, Escobarium, Sanctum, Molinam, Tannerum, Emanuelém Sa, Caramuelem, Filiuccium, Azorium aliasque societatis suae faces. In hoc tota ipsorum Theologiae Moralis structura innititur. *Quid, quaeso, sibi vult monstrosum Probabilitatis dogma, quod a Iesuitis novisque Casuistis varia arte manuque expositum totius Theologiae Moralis fundamentum seu ἀπόπολις constituitur?* verba sunt S. Rachelii *Cap. I Exam. Prob. Ies. p. 5.* Derivatum hoc est ex falsa doctrina de actionum moralium Indifferentismo, iudice Zentgrav. *de Or. Ver. et Immut. L. N. Proem.* Quare cum Probabilismus ille tam ruinoso fundamento nitatur, satis lucide apparet, methodum dirigendae intentionis, inde derivatam, haud esse quantivis pretii.

XI. Lubet VI) nonnulla in medium proferre exempla, quae nos egregie docebunt, illicite plane suscipi malam actionem, licet optimus intendatur finis; non ut nobis sint imitanda, sed ut eorum cognoscat ur foeditas, quae saepe speciosa videntur ob bonum praetextum. *Hoc enim praecipue salubre est ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: ut inde tibi tuaeque reipublicae, quod imitere, capias; inde foedum inceptu, foedum exitu, vites. Liv. dec. 1. lib. I praef.* Saul, Israelitarum Rex, mandatum acceperat a Deo, ut eius auxilio fretus bello persequeretur Amalakitas, eosque ex aequo omnes propter commissam in populum Israeliticum iniuriam occideret, nec ullius animantis parceret vitae. Rex equidem mandatum divinum exhauriebat haecenus, ut bello oppressorum hominum caedem faceret; pecudum tamen vitae parcebat ad eum finem, ut iis ad sacra Deo facienda uteretur. Verum etsi Deo cultum offerre, laudatissima res sit, illi tamen minus placebat, ideo, quia Saul praeccepto divino morem gerere neglexerat, eaque propter gravissimam Dei vindictam experiebatur. Sic pusillum fermenti totam massam corrumpit. Idem plane iudicium de incestu filiarum Loti ferendum est: quae quidem non prava libidine incensae, sed vano timore repletae, ne omne humanum genus interiret, vino replebant patrem, ut somno oppressus secum concumberet. Bonum equidem erat feminarum consilium, siquidem praecipit divina voluntas, ut gene-

rando propagetur genus hominum. Ast modus, quo mandatum divinum exhaurire laborabant, divinis iuribus repugnat.

XII. Consideratis exemplis sacris, profana quaedam intuebimur, quid de iis sentiendum, breviter declaraturi. Memoriae proditum est de sacerdote quodam Hispano, eum Saracenis liberos eripuisse, et sacro lavacro ablutos illico occidisse, ut ne Christo initiati redirent deinde ad vomitum, et ad Saracenorum perducerentur superstitionem. Bona sane et pia huius hominis erat intentio, volebat enim unice, ut horum infantum accessione coelitem numerus cresceret; quam ut obtineret, infantes ad unum omnes interimerebat, mente adeo securo, ut superis si placet, innocente sanguine religiose admodum litasse se crederet, iudice *Antonio de Sarasa in arte semper gaudendi Tom. I p. 79. 80.* Quaerere iam licet ex Iesuitis, quid de hoc facto sentiant, sitne reprobandum, an minus? Ego sane nullus dubito, hos viros consenturos ad dilaudandum illud, quia optima intentione susceptum est. Duo autem cum primis sunt, quae in hoc vituperatione digna ducimus. Alterum est illud, quod parentibus haud dubie invitis liberi erepti sunt, quod sane in sacris Christianorum tolerandum non est. Arguit hoc manifestum furtum, quod ex eius natura statim patet. Liberi barbarorum parentum sunt alieni, et ad Pontificios nihil pertinent: quis enim unquam potestatis ac iuris quicquam clericis in hos dedit? Hi ergo tantisper relinquere debuissent parentibus liberos, illosque in diviniore literis erudire, donec meliora edocti nostris sacris sponte initiandos hos offerrent. Quicquid enim invitis dominis auferitur, furto auferitur. Nec ad religionem erant cogendi hi infantes: coactio namque repugnat naturae religionis.

XIII. Alterum, quod in hoc sacerdote vituperandum censeo, est crudelissima dictaque horrenda innocentium infantum occisio. Nam nisi quis iura divina plane oblitus fuerit, insitumque a Deo lumen, quo honesta a turpibus distinguuntur, plane exstinxerit, recordabitur sane illud iuris naturalis praeceptum, neminem esse laedendum, adeoque nec occidendum. Atqui lex haec perpetuo valet, omnique tempore obligat. Equidem ius vitae ac necis, absolute loquendo, solus Deus sibi reservavit: communicavit tamen

men illud Maieſtati, ut vindictam ſumat a maleficis. Hinc non convenientiſſimum modo eſſe iudicat natura, ut poena in fontes decernatur a ſuperiori: ſed illud quoque tanquam neceſſarium arget, cum in hunc finem praefectus ſit reipublicae, ut in maleficos animadvertat. Quis vero unquam ſacerdotibus poteſtatem vitae ac necis conceſſit? Temerarie ſibi ſumunt, quod ſui muneris non eſt, et homines ultimo ſupplicio afficiunt clerici in papatu, quod tamen ad praefides reipublicae pertinet. Imo ſi arrogare ſibi volunt ius gladii, videant, ne in immerentes ſtringant gladium. Vbi poena ſtatueda eſt, ibi oportet anteaſſiſſe cauſam eius meritoriam, nempe delictum. Hinc ne DEVS quidem innocentes punit, nec id facere ſine iuſtitiae ſuae laeſione poteſt. *H. Grotius Lib. II cap. XXI § 4 de I. B. P.* Aſt delictum in infantibus rationis uſu carentibus forſan non deprehendit Hiſpanus ille ſacerdos, adeoque ſcelus commiſit nullo modo excuſandum, etſi bonam intentionem admodum ſpecioſe praetexuerit.

XIV. Relicto ſacerdote Hiſpano, in Angliam me confero, conſideraturus ibi profeſſionem illam, quam vocant *Peregrinationem Gratiae*. Angliae enim ſeptentrionalibus ſeditioſis, imperrante Henrico VIII. Rege, Dux quidam Aſcus nobilis erat, ad regendum exercitum aptus, qui ut populum ad voluntatem ſuam perduceret, ita hanc profeſſionem inſtituebat, ut ſacerdotes cruces manibus geſtantes populo praerent, atque vexillis uterentur, in quibus imago crucis erat picta cum quinque vulneribus et calice, ac quivis eorum in manica ſua teſſeram geſtaret emblema vulnerum Chriſti, cum nomine Ieſu. Quotquot ſe in eorum ſocietatem offerebant, ſacramento dicebant, ſe hanc peregrinationem Gratiae pro gloria Dei, conſervatione Regis & proliſ, corrigendis nobilibus, & e medio tollendis malis Conſiliariis, minime vero ob privatam utilitatem, vel ad iniuriam alicui inferendam, vel ut ex odio quenquam interimerent, ſuſcepſiſſe, nec alium finem ſibi eſſe propoſitum, praeterquam crucem Chriſti, eius fidem, eccleſiae reſtitutionem, haereſiumque ſuppreſſionem. His ſpecioſis titulis ac nominibus cum animi plebis iam offenſae ineſcarentur, brevi fiebat, ut circiter quadragies mille cruces & vexilla ſequerentur. *Burnet. Lib. III Hiſt. Reform. Eccl. Angl. f. 129. col. 2.* Dolendum ſane

ne est, gloriam DEI et religionem pessimis saepe negotiis affricari, ut hoc quasi pallio atrocissima scelera obtegantur, quod et hic factum est. Neque enim id dabant operam illi, ut Dei gloria Regisque salus promoveretur, prout videri volebant; sed ut manus plebis, iam in Regem regnique nobiles familias exacerbatae, magis magisque armarentur, viribusque integrae eo vehementius adversus illum insurgerent. Ast quantum facinus hoc est, adversus regem suum arma capere, et ad idem faciendum alios incitare! Ut verbo rem edisseram, Crimen laesae Maiestatis hoc est, gravissimis suppliciis coercendum. Regi enim suo qui resistit, Deo ipsi se opponit, cuius vicem ille in terris sustinet. Male profecto fecerunt Misifici sacerdotes cruces manibus gestando populo praecurrentes, qui ex S. literis scire poterant utique, DEVM in suam iniuriam interpretari, quicquid in offensionem Principis committitur. Nec ullo iusto sacramento obligari poterant, se non nisi ob DEI gloriam Regisque incolumitatem ad hoc bellum proficisci, cum nil nisi Regis nobiliumque quaerent interitum, praetereaque rem iurato pollicerentur lege prohibitam. Itaque grande hoc scelus non nisi temere ob hanc bonam intentionem, vel, ut rectius loquar, bonum praetextum excusatur et approbatur.

XV. Dirigere nunc placet cogitationes ad contemplandum *Bellum Sacrum*, sub absurdae superstitionis praepostero zelo stabilitae praetextu ab episcopis & monachis per fatis diuturnum temporis spatium gestum atque continuatum. Scilicet multi Europaei in Germania, Gallia, Hispania, Anglia, Dania, Italia, Lotharingia & Burgundia confluerunt ad recuperandam Palaestinam, quam tunc temporis tenebant Saraceni. Quae expeditiones cum ob Christi Servatoris cruci affixi gloriam allerendam, et Christianas in Oriente regiones barbaris eripiendas susciperentur, dicebantur Cruciatas, militumque vestibus crucis signum assuebatur, ac tessera velut militiae constituebatur. *Boecler. Disp. de Passagiis in Vol. Diss. Acad. Append. f. 22. 23.* Cum ergo quaeritur, sitne hoc bellum probandum, facile responderi potest, cum quilibet videat, id esse omnium iniustissimum. *Fundamentum perpetuae commendationis et famae iustitia est, sine qua nihil potest esse laudabile. Cic. II. Off. c. 20.* Ast in hoc bello nulla causae iustitia deprehenditur: siquidem gerebatur propterea,

pterea, ut Saracenis tanquam gentibus barbaris terra sancta eriperetur, et in Christianorum redigeretur potestatem. Ast possessorem, qui iustum territorii dominium habet, possessione sua expellere, iniustitiae argumentum est. *Ferinum est, nulla accepta iniuria ad caedes et vastationes velle venire, pisciumque est & ferarum, se mutuo ut vorent.* Alber. Gentil. lib. I cap. 7 de iure belli. Hinc factum est, ut hoc bellum vel potius latrocinium infelicissime desineret, nec aliud lucrarentur expeditiones istae, quam ut Christiani Principes viribus opibusque spoliarentur, et Graeci imperii robur debilitaretur. Etsi enim de consiliis non sit iudicandum ex eventu, siquidem consilia sapientissime inita saepe infeliciter desinunt, et contra insipienter captata felicem exitum sortiuntur: attamen plerumque vindicta divina solet haud tardo pede impia et iniusta conantes sequi, ut dissipentur eorum consilia, et fiant consultoribus pessima.

XVI. Vnicum adhuc superest exemplum, cuius iniquitatem quo minus illico perspicias, religionis prohibet praetextus. Superioribus nempe temporibus Hispani bello persequebantur Indos totamque fere Americam subiugabant sibi, ea mente atque consilio, ut barbaras has gentes ad humaniores mores et Christianam fidem perducerent. Tanta autem crudelitate atque immanitate tractati fuerunt barbari, ut quinque et quadraginta annorum spatio eorum plus quam ducenties centena millia interirent, et amplissima regio ad solitudinem redigeretur. v. Ziegler. de Iur. Maiest. L. I c. 33 § 61. Varias equidem conquestas sunt rationes, quibus hoc bellum defendere et eius asserere iustitiam voluerunt varii, de quibus egit *Franciscus a Victoria Relect.* §. qui tamen censuram nostri Ziegleri iterum iterumque experitur *l. all. § 52 seqq.* Nos saevitiam Hispanorum in Americanos exercitam excusare aut approbare non possumus, sed hoc bellum ut iniustum & ferinum accusamus. Nam quaerere liceret, quisnam Hispanis dederit potestatem occupandi terram Americanam? aut quaenam fuerit causa tam cruenti belli in innocentes populos suscepti? Papa equidem vix inventas regiones Americanas, dono dedit Regi Hispanorum, antequam evangelium praedicatum in his terris esset, teste *B. Zieglero l. c. § 57.* sed in has Papae nullum dominium. Neque vero istius popu-

QX
114
1796

populi barbaries potuit esse huius belli causa, ut coerceretur illa, et veritate religionis emendaretur. Nam iusta belligerandi causa non agnoscitur, nisi iniuria, quam vero morum barbaries non constituit. Equidem doctissimus *Baco de Verulam. L. de augmento scient. p. 348.* ita patrocinari conatur Hispanis Americanos debellantibus, quod *hi possent intelligi velut per ipsum ius naturae proscripti, ideo quia apud ipsos sit consuetudo sacrificandi homines, et humanas carnes manducandi.* Sed vero non possum facile adduci, ut credam, illum esse a iure naturae proscriptum, qui contra naturam agit. Haec enim non desinit hominem arguere delictorum, et ad rectiora adhortari. Deinceps nego, principem cum eiusmodi hominibus velut a natura proscriptis posse belligerare: desideratur quippe adhuc sufficiens bellandi causa. Distinguo denique cum *Illustri Pufendorfio* homines, quorum carnibus Americani vescuntur. Vel enim sunt conterranei, vel extranei; si extranei, sunt vel praedones, vel hospites: si conterraneorum vescuntur carnibus, ad Principem alienum hoc non pertinet: si vescuntur alienorum tanquam praedonum carnibus, non agunt iniuste, quia iniuria lacesciti se suamque vitam alterorum caede licite defendunt. Si aliorum hospitem carne vicitant, licite contra eos dimicatur: tunc enim non amplius ut barbari duntaxat considerantur, sed ut latrones, in alios eosque innocentes contra omnem humanitatem iniquissime grassantes. *Lib. IIX cap. VI § 5 de I. N. G.* Quare cum bellum Hispanorum per se fuerit iniustum: in promptu est, bonam intentionem illud non posse noxa purgare. Infideles gentes ad Christianam fidem perducere, res est laude dignissima: vi et laniena illud tentare, furiosum est. Graviter hac de re iudicat Thuanus: *Hispani mutuis lanienis (in Indiis) XX. annorum spatio se consecerunt, indigenis avaritiam et libidinem victoris luentibus. Tanto auro et cruore verae religionis cognitio miseris Indis constitit: quam etsi nullo pretio, ne vita quidem ipsa aestimari posse censeam, verendum tamen est, ne ea divinae vocis promulgatio non ex praescripto DEI, qui suos non ferro et rapinis, sed caritate et piis admonitionibus grassari voluit, apud Indos instituta, cum non propter Christum inceperit, neque Christi gloriam profine, ut sunt principia, olim sit habitura. ad ann. 1536.*


SOLI DEO GLORIA.

ULB Halle
002 102 196

3



VD18



R. N. 352, 8.

II 6
796.

I. N. I.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO AVGVSTO,
ELECTORATVS SAXONICI HEREDE,
ETC. ETC.
DE
BONA INTENTIONE,
AD ACTIONIS BONITATEM
MINIME SVFFICIENTE,

Publice disputabunt

PRAESES
M. CHRISTIANVS MICHAEL

Vischbeck /


Langensalz. Thur.

ET
RESPONDENS

IO. CHRISTOPHOR. HAMMERVS,
VViesenthal. Mifn.

Ad d. XI Octobr. cl. 1782.

H. L. Q. C.



83

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.

S. 16.